I. N. J.

Disputatoi Inauguralis Medica,

DE

GONORRHOEA VIRULENTA UTROQUE IN SEXU,

vulgò

Tripper/

Et

LA CHAUDEPISSE,

Quam

EX DECRETO & CONSENSU
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN ALMA EBERHARDINA,

PRÆSIDE

Viro Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo, Experientissimo,

DN. JOHANNE ZELLERO,

Med. D. & Prax. Anatom. ac Chirurg. Prof. P. Ord. Sereniss. Würtemb. Ducis & Oetingens. Principis Archiatro Celeberrimo,

Patrono ac Præceptore suo ad cineres piè Colendo,

PRO LICENTIA,

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI,

publicè defendet

die April. Anno M D CC.

IN AVLA NOVA

GEORGIUS FRIDERICUS GMELINUS, Stuttgard.

TUBINGÆ,
JOHANN. CONRADI REISII.

B. C. D.

DIversi diversæ materiæ, diversisque ex causis contingunt fluxus ex partibus genitalibus utriusque sexus, nunc serosi, aquosi, seminales, purulenti, nunc sanguinei; iique vel naturales, vel præternaturales; jam voluntarii, jam involuntarii, & nunc aliis aliisque stipati symptomatibus. Ex his contemplabimur assistente Divinâ gratiâ seminales illos & purulentos. Animus quidem fuit prolixius & prout frequentia mali, ejusque necessitas exigeret, illos tradere, sufficientibus experimentis & observationibus eosdem illustrare, assertaq; demonstrare; Cum verò præter spem & opinionem cursum nostrum abrumpere cogamur, brevius quoque, ac concepimus, rem expedire tenemur, suscepturi alio tempore vente DEO pleniorem atque exactiorem ejus ractationem. Hâc vice exponemus modò, orline naturali, eoque plano, ortum & progres-

ſum hujus fluxus, ejusq; ſymptomata, quæ illum utplurimum comitari ſolent; Recenſebimus hinc varios caſus & obſervationes, quas D. Præſes nobis communicavit; Proponemus poſt ſigna diſtinctiva, & examinabimus partem affectam, fluxusque cauſas, ac denique breviter ſubjungemus curam, quæ Deus Ter Optimus Maximus feliciter vertat!

CAPUT PRIMUM.

Fluxum hunc ſeminis ac puris virulentũ Practici ferè omnes exhibent, in deſcribendis autem eorum ſignis breves admodum ſunt. Præ aliis qui mihi ſunt, & ex Recent. Ettmullerus, ex Gallorum familiâ Blegny tractatus, cui titulus eſt: L'art de guerir les maladies Veneriennes: Gervais Ucay Medici Touluſani nouveau Traité de la maladie venerienne &c. mihi placent.

§. I.

VAriè autem obſervatur hic fluxus in ſexu maſculino: Nonnulli ſentiunt laticem talem involuntariè extillantem poſt violentos motus, equitationes diuturnas, noctes diesque in longioribus curſibus atque itineribus continuatas.

§. II. Alii inſignem, diverſique coloris citrini, virideſcentis experti fuerunt, à potu acidularum generoſiorum, & quidem adeò copioſum, quod novimus in binis exemplis, ut ægri non ſolùm maciem totius corporis contraxerint, ſed & vix incedere amplius potuerint.

§. III. Idem quoque nimias potationes, atque dietæ exceſſus enormes, uſumque ciborum calidiorum, ſalitorum atque aromatizatorum ſequi ſolet, absque tamen ſingularibus illis ſymptomatibus mox recenſendis.

§. IV.

§. IV. Post coitum impurum cum fœminâ, vel lue Venereâ infectâ, vel ulcusculis, aut ipsâ gonorrhœâ inquinatâ excitatur hic fluxus, non autem imediatè post illum peractum, nec horis aliquot elapsis; aut altero die ordinariè; licet id quoque aliquoties contingat; sed vel 2. 3. 4. 7. 8. vel nono die demum erumpit, cum titillatione glandis, & perinæi, absque tamen voluptate in priapo; Glans incipit madere liquore vel semine tenuiori, post albâ quâdam colluvie obduci, maculisq; indusium notare; Urina cum ardore emittitur nunc leviori in hoc subjecto, nunc majori ac intolerabili in alio, qui in & post excretionem sentitur, cessans post mictionem. Crescit autẽ in dies dolor ille & ardor; Color materiæ effluentis, qui antea aquę, albicans quasi fuit, mutatur in citrinũ & viridem; fluxusq; sensim redditur copiosior; Tentigo, quæ de die moderatior fuit & levior, noctu fortiter augetur in lecto, quamprimum incalescunt, penisq; adeò rigescit erectus, ut non solum dolorem inferat sumum, sed juxta hunc quoq; insignem Veneris stimulum excitet, ut ab ulteriori coitu sese cohibere non patiantur, sed in quævis obvia scorta irruant: qui stimulus autem & tentigo sive erectio de die mitior evadit, per intervalla tamen rediens: Urina lixiviosa est atque turbida, quam exercitati in hâc palæstrâ, licet non Medici sint, benè cognoscunt, ac latens malum judicant, ægrisq; exprobrant; Dolor, qui in mictione sentitur, nunc in radice urethræ, nunc per totum canalem, in glande præprimis, ejusque apice est.

§. V. Sæpè autem dicta Symptomata ita intenduntur, ut non solùm dolor augeatur, in glande potissimum ac urethrâ, sed & tantus succedat Urinæ ardor, ac si ebulliens aqua in urethram effunderetur; continuus urget mingendi conatus, imò sæpe supprimitur Urina, Penisque tanta est tensio, noctu præsertim in lecto increscens, tanto cum cruciatu & duritie, tantâque glandis tractione, ut non solùm incurvetur penis sed & præ dolore & desiderio in Venerem nimio furiosi quasi evadant; quæ autem de die diminui solent, ita ut operæ suæ vacare queant. Hæc ubi contingunt, utplurimum ulcera in pene sive glande potius & præputio juncta habent; Quæque symptomata ubi apparent, gonorrhœa tensa, sive barbarè, Cordata; Gallis, *La Chaudepisse Cordée* vocatur, quæ omnium pessima est, & ulcera indelebilia ferè semper post se relinquit, luem universalem inducentia.

§. VI. Contrahitur autem hic fluxus cum dictis symptomatibus vel mitioribus, vel gravioribus unico sæpè coitu cum fœminâ vel eodem

fluxu, vel ulcuſculis ſolùm laborante, ſalvis manentibus reliquis, priori in Venere cum eâdem fœminâ ſuccedentibus.

§. VII. Acquiritur tamen etiam mutuis ſolùm amplexibus absque coitu ſeu conjunctione maris cum fœminâ gonorrhœa laborante, utpote quam ſtudio ſæpe evitant, ne idem malum reportent.

§. VIII. Fœmina dicto hoc fluxu correpta plures cum ipſa uno eodemque tempore rem habentes, ſibique invicem in eâdem impurâ operâ mox ſuccedentes inficit, ſed diverſimode, alii eundem fluxum; alii ulcuſcula; alii bubones; alii luem veneream univerſalem, *Gallis les Veroles* imprimendo.

§. IX. Inferre ſolet quoque fœmina viro fluxum hunc, licet illa neque ulcuſculis in vaginâ, neque etiam dictâ hâc gonorrhœâ aut ullo alio malo ♀eo laboraverit.

§. X. Utque ſecundum §. 7. fluxus hic virulentus ab utroque ſexu utrique communicatur absque conjunctione partium genitalium intimiore utriusque ſexus, ſive immiſſione penis in vaginam uteri; Ita gonorrhœâ infecti absque proximiori contactu aut amplexu, ſi non eundem fluxum, alia tamen Venerea ſymptomata inferunt. Sic notante Blegny in citat. ſuo tractatu part. 1. pag. m. 67. pater gonorrhœâ, laborans filiolum ſuum 9. annorum ſæpe inter genua ejus hærentem & ſoventem infecit. Pariter nobis retulit D. Duvernoy, Chirurgus juratus Stuttgard. ſe Juvenem quendam 18 annorum, probum, pium atque caſtum hominem curaſſe, qui labem talem accepit ſcamno inſidens, quod antea tympaniſta gonorrhœâ affectus occupavit, atque longiore inſeſſu ſuo ita calefecit, ut ſubſequens miſer ille Juvenis calorem illum in ſcamno mox ſenſerit, dum autem non cogitavit, quod Tympaniſta vel infectus ſit tali labe, vel quod ab inſeſſu etiam communicari malum illud queat, & in alium tranſire, maximo ſuo damno ſucceſſit in jus, dum ſucceſſit in locum, poſtquam elapſis 7. diebus non ſolùm in toto perinæo, verum & circumcirca anum plurimi ficus copioſum ſerum ſtillantes, atque dolorifici admodum; ſed & in amygdalis, ſive tonſillis ulcera ipſi ſuborta fuerunt.

§. XI. Viri inveteratâ gonorrhœâ virulentâ laborantes, mulieribus ſæpè luem univerſalem imprimunt, etiamſi ipſi ab hâc immunes ſint. Rarius enim fit, quod inveterata in proprio corpore degeneret in luem univerſalem, facilius autem recens, præſertim ſi maligna admodum, pluribusque ſymptomatibus ſtipata, aut non rite tractata fuerit. Quod autem nunc brevius, nunc tardius in hoc vel illo ſubjecto contingit.

§. XIII.

§. XIII. Gonorrhœæ ſi junguntur plura ulcuſcula in glande, vel bubones, aut tophi ſive nodi, vel dolores, aut fœda ulcera in corpore, ſignum eſt luis Venereæ univerſalis.

§. XIV. Gonorrhœæ præprimis recenti ſæpè ſupervenit tumor ſcroti atque teſticulorum enormis ad capitis magnitudinem accedens.

§. XV. In Urinâ Gonorrhœâ inveteratâ laborantium filamenta ſunt & conſpiciuntur, quæ Galli, *filandres*, vocant, ſive vermiculos, quæ in recentibus non deprehenduntur; Urinæ autem, in quibus filamenta iſta obſervantur, in inveteratis ſcil. gonorrhœis nunc ſanorum ſimilimæ ſunt, nunc turbidæ & lixivioſæ.

§. XVI. Accedit ſæpè inveteratæ gonorrhœæ virili *ſuppreſſio urinæ*, cum ſummis cruciatibus & doloribus: Imò illa mortem quoque inferre ſolet referente ſæpius citato Blegny dans ſon traitè de l'art de guerir les veroles tom. 2. p. 67. & 68.

§. XVII. Gonorrhœâ diuturniori laborantes ſæpè inſignem *Hæmorrhagiam* penis patiuntur& adeò largam, ut non ſolùm caligæ & induſia ſanguine madeant, grumisque repleta ſint; ſed & illo lectum quaſi inundetur. Cujus rei varia exempla mihi retulit D. Præſes, dum quidam primâ noctenuptiali cum Sponſa cohabitaturus tantùm ſanguinis ex virgâ excrevit, ut de vitâ ſuâ actum eſſe crediderit: ſiſcitaturus cauſam, percepit, ſponſum antea gonorrhœâ laboraſſe contumaci: Aliis à vehementioribus motibus, equitationibus idem accidit, quibus ſcilicet malum hoc commune fuit.

§. XVIII. Nonnulli malo hoc inveterato detenti, de Doloribus in *Oſſe ſacro* queruntur, ac ſi calculoſi eſſent.

§. XIX. Plurimi, quibus malum hoc chronicum eſt, tantam materiæ copiam varii coloris excernunt, ut inde non ſolùm induſia eorum rigeant, quaſi alicâ aut glutine farinaceo obducta eſſent, als wann Sie geſtärckt wären / ſed & multoties de die linteamina ad evitandum illud, & occultandum ſordidum affectum, ne uxores id animadvertant, ſi in matrimonio vivunt, (quibus membrum ad excipiendum illum fluxum muniunt atque involvunt) mutare cogantur, absque tamen *cachexiâ, macie, aut laſſitudine ſingulari.*

§. XX. Econtrà alii ex utroque ſexu ex chronico illo fluxu lethalia experiuntur ſymptomata, atque in *hecticam* incidunt incurabilem.

§. XXI. Multi perſuaſi ſunt, ſtrenui præſertim hoc in certamine milites,

lites, fœminas affectu hoc inquinatas cohabitantes non æquè inficere, modo ſemen ſuum non retineant ſtudio aut iniquè in coitu, ſed illud ſimul excernant, aut ejaculentur.

§. XXII. Triſte eſt, gravisque pœna, promerita licet, *Gonorrhœam* lui Veneræ conjunctam non curari *Salivatione*, ſi propter illam hæc adminiſtranda eſt; ſed remanere debellatis hâc omnibus reliquis ſymptomatibus. Notavit hoc Clariſs. Dn. D. Alexander Pfiſter, Medicus atque Chirurgus Schafhuſanus Experientiſſimus in Diſputatione ſuâ Inaug. Medic. Chirurg. de hydroſarcocele doctiſſimâ; Quod & Dn. Præſes expertus fuit, quanquam in aliis ☿iali cura curationem inveteratæ quoque felicitet obtinuerit.

§. XXIII. Qui gonorrhœâ laborarunt, curati licet facilè iterum recidivas patiuntur, vel eâdem causâ fœdâ atque illicitâ admiſsâ; vel aliis externis ſolùm, motibus ſcil. vehementioribus & diætæ erroribus.

§. XXIV. Tandem conſtat, licet hi fluxus dicti in aliis breves ſint, faciléque curentur, & vel ſpontè, vel remediis contrariis Cauſæ naturam aliâs induentibus, cedant: In aliis autem *incurabiles* evadere, & ad finem usque vitæ continuare, non ſine levi moleſtiâ.

§. XXV. Denique ut nonnulla quoque de Mulierum gonorrhœâ tangamus, earumque ſymptomatibus, patet, varios quoque illas involuntarie excernere liquores, variorum colorum, variéque vel proprium corpus, ex quo emanarunt, afficientes; vel aliorum partes, quæ cum ipſis junguntur; & vel magis, vel minus, vel planè non lædentes. Ita familiariſſimum eſt illis, vel maritatis, vel non maritatis humorem albicantem excernere, qui Illas rodit & partes earum genitales excoriat, pluraq; alia aliis in partibus ſymptomata producit: Obſervatur inter alia fluore iſto albo ſuppreſſo glandulas inguinales intumeſcere, bubonem facere; reſtituto autem illo ſpontè evaneſcere, & brevi, uti celerrimè quoque fuerunt nati, ſpatio ſcil. aliquot horarum.

§. XXVI. Uti Viri gonorrhœâ virulentâ laborantes ardorem urinæ patiuntur in & poſt mictionem; ita eundem quoque ſentiunt mulieres, acrem valdè & doloriſiſſimum; nec eundem ſolùm prope orificium externum; Imò de doloribus intolerabilibus quaſi in toto vaginæ canali conqueruntur in coitu.

§. XXVII. *Supra os pubis, aut ſub eo titillationem* quoque & dolorem ſentiunt mulieres fluore hoc virulento affectæ.

§. XXVIII

§. XVIII. Gonorrhœa virulenta menſtrua non ſiſtit, ablatâ autem eâ facile fluor albus benignus ſupervenit.

CAPUT SECUNDUM.

PRæmiſſis Phænomenis, quæ aliâs circa hunc fluxum virulentum obſervari ſolent, progrediemur nunc ad ejus Eſſentiam, Subjectum atque cauſas, deducturi ex his ipſis rationes illorum. Ut autem pateat, quid per fluxum hunc ſive Gonorrhœam utroque in ſexu dicatur, brevibus diverſas ejus ſpecies enumerare neceſſe eſt.

§. I. Gonorrhœa ἀπὸ τῆς γονῆς Genitura, quaſi ſemine & ῥέω fluo derivatur. Proſluvium itaque ſeminis, ſive Gonorrhœa vocatum fuit illud ſymptoma, quando ſemen involuntariè à quacunque demum cauſa excretum fuit; poſtmodum illis quoque conceſſum fluxibus, qui analogiam quandam ratione Materiæ cum ſemine videbantur habere, quique ex eodem canali emanarunt. Cum verò haud levem diverſitatem inter illos intercedere obſervatum fuerit, in varias ſpecies demum fluxus illi diſtingui cœperunt; In Gonorrhœam ſc. *veram* in pollutione tàm nocturnâ, quàm diurnâ, cum, vel citra tentiginem, cum & ſine voluptate, à variis cauſis internis, & externis natam, conſpicuam; Et *ſpuriam* ſive *Notham*, utriquè ſexui familiariſſimam & frequentiſſimam, in qua loco ſeminis veri liquâmen ſolum, nunc ſeroſius, nunc viſcidius, nunc clarius, nunc variis coloribus, aliisque qualitatibus fœdatum excretum fuit, vel ex membro virili, vel ex vaginâ uteri Hanc, *Ettmullero*, *Catarrhalem* dictam, diſtinxerunt poſt in *Benignam & malignam*, ſive *virulentam*. Illam ſine Causâ manifeſtâ & actu ♀reo, aut coitu productam, nunc citra ſenſum, nunc evidenti cum moleſtiâ & ſymptomatibus continuantem; Hanc ab impuro congreſſu dependentem. Quæ in mulieribus *benigna* occurrit, ſpecialiter *fluor albus*, ſive *uteri Coryza* audivit; in Viris autem *Gonorrhœæ* nomen retinuit, ſicque in libris diſtinctio facilis fuit, in praxi verò & applicatione res difficilius proceſſit, ubi benigna â maligna ob diverſam medendi methodum diſtingui debuit, ægri è contra veram cauſam ob pudorem indicare veriti fuerunt. In Viris quidem res longè facilior videtur, ſimplicem ſive benignam gonorrhœam à virulentâ diſtinguere, difficilis tamen æquè evadit dignotio, non quod ob pudorem

reticeant peccatum, sed confiteantur, se tàm Veneri, quàm Cereri, aut Baccho litasse, nescire autem, cui debeant malum hoc, præprimis cum sæpè admodum leve sit, ut præter filamenta in Urinâ, nihil habeant, aut perpessi fuerint à principio per totum mali cursum, si ipsis fides habenda est, aut si omnium reminisci possunt. Præterea quod in Gonorrhœâ tàm simplici, quàm virulentâ, ulcera adesse & abesse possint. Imò in utraque benignâ & malignâ, in vasis tàm urinariis, quàm seminalibus sit & appareat inflammatio; Et in utrâque excernatur materia similis sibi ratione corruptionis, quoad colorem nunc citrinum, nunc viridem, & alias qualitates, ut itaque nihil supereſſe videatur in viris, quod duos hos fluxus simplicem à virulentâ à se invicem distinguat. Verumenimverò, utut res abstrusa admodum sit, & obscura, prostant tamen nonnulla, quæ virulentiam produnt, uti in dictis levioribus & inveteratis filamenta illa sunt, quæ in simplici non conspiciuntur; virusque & ex eo statuendum, quod in illis, qui promiscuè & indiscriminatim vel publicis, vel privatis scortis utuntur, etiamsi ob naturæ robur à potioribus symptomatibus liberi maneant, impunè tamen nunquam recedant, & hinc etiam illud leve & horis solùm matutinis in Urinâ, per filamenta; aut levioribus maculis in indusio; vel in apice glandis leviori madore, vel liquore albumini ovorum simili, diversi tamen coloris sæpè apparens profluvium notam præbeat virulentiæ. In recentioribus gonorrhœis *Blegny* utiles suppeditat notas; Primò, quod præter commercium impurum & excessus in rebus non naturalibus, quæ probè & diligenter inquirendâ & investiganda sunt, in Gonorrhœa virulentâ inflammatio, quæ à fermentatione in semine ab acido ♀reo factâ dependet, exigua sit, & hinc symptomata dictam inflammationem insequentia, ardor Urinæ, & dolor adeò gravia in initio non sint; Cùm è contra in Gonorrhœa simplici eò ipso momento, quo fluere incipiat, ardor □æ ferè intolerabilis sit. Secundò quod in Gonorrhœâ virulentâ neque ardor □e, neque dolor percipiantur, nisi fluxu jam præsente; nec augeantur, eò nisi continuato, tanquam effectus inflammatarum partium spermaticarum semen continentium, aut ulcerum in urethrâ productorum: In Gonorrhœâ autem simplici dolor partium & ardor Urinæ fluxum præcedant. Tertiò, quod profundiora longè ulcera producantur à Causâ malignâ, quam à benignâ: Et quod symptomata à virulenta inducta, inflammatio scil. dolor, & ardor Urinæ non solùm pertinaciora sint, & augeantur valdè ad convulsionem usque penis, nisi in tempore succur-

satur

ratur convenientibus remediis: E contrariò illæ, quæ in simplici Gonorrhœâ aliâs occurrere solent, sponte sæpè cessent & evanescant, observato solùm contrario diætæ regimine.

§. II. In mulieribus longè difficilius distinguitur Gonorrhœa simplex sive benigna vel fluor albus à Gonorrhœâ virulenta, non quod ipsæ ignorent, quid commiserint; aut unde malum proveniat, sed quod ob ruborem vel metum famæ jacturæ sæpius fluorem alb. simulent, licet nonnullæ innocenter & præter culpam suam, maritatæ præsertim, in hoc malum incidant. Quæ autem malum studio occultare volunt, optimè id possunt, dum Gonorrhœa benigna eadem symptomata producit, quæ alias virulentæ, familiaria sunt, ardotem scil. urinæ, dolorem in vagina uteri, excoriationem & ulcera. Ad investigandam autem veritatem & dignoscendos hos affectus à se invicem varia Authores suppeditant signa. *Regnerus de Graaf* hoc modo illos in *tractatu suo de organis mulierum generationi dicatis pag. 139.* distingui credit, dicendo: cum de fluore, sive albo menstruorum pro fluvio nobis hîc sermo sit, alia difficultas oboritur, num scil. fluor ille, si continuus existat à Gonorrhœa sit distinguendus: ita namq; inter se conveniunt, ut nisi mentem adhibeat Medicus, præ similitudine facilè in errorem abeat, quanquam à diversis partibus procedant per distinctaque loca excernantur; siquidem fluor iisdem, quibus menstrua fluunt, ductibus ejicitur; quod vel ideò judicamus, quia menstruum cruorem ita subindè immutari cernimus, ut qui primo veluti a victima, referente Hippocrate, prodibat, nunc minus floridus, postea pallidus, ac sensim albus appareat, fluorem muliebrem, album dictum, efficiat. Gonorrhœam verò ex glandoso corpore provenire & per lacunas circum, & in meatus urinarii exitu collocatas erumpere, cadaveris cujusdam mulieris hoc vitio infecti dissectio palàm fecit; nam utero ejusque vagina innoxiis, corpus glandosum sive prostatas urethræ circumpositas malè affectas offendimus. At licet aliquis, quomodo illa medicus internoscere valebit, si mulier affecta se castam, honestam, & ab omni virili consortio alienam profiteatur? Itcunque dijudicare poterit, si ad pro labentem materiam, ægrotantis querimonias diligenter attendat: materia namque fluoris alteram in Gonorrhœa manantem longè quantitate superat; querelas si consideret, fluore fœdatas lumbari cruciari dolore, alias verò Gonorrhœâ laborantes de obortâ circa pudendas partes acerbitate lamentari audiet. Sin minus his contentus certior esse velit, Genitalia inspiciat, siquidem meatus urinarii exitum

circumsistentes partes, in quibus lacunarum exitus terminantur, mucosa quadam materiâ obsessas, ac interdùm exulceratas reperiet, reliquis vaginæ partibus decenter sese habentibus; cujus contrarium in fluxu albo fieri assolet. Verùm licet dicta hæc sæpius ita sese habeant, fluoremque album à Gonorrhœâ virulentâ distinguant, ubique tamen nec stare, nec distinguere possunt, dum contra Experientiam profertur, quâ subjectum lacunis & prostatis terminari virulentam, quâ symptomata materiæ quantitate pariter discrepare, cum tamen illi dolores lumbares sæpe in inveteratâ Gonorrhœa virulenta sint, eandemq; quantitatem in virulentâ excerni deprehendatur. *Jo. Fernelius in universâ suâ Medicinâ de partium morbis & symptomatibus lib. VI. pag.* 526. hos characteres adducit: Hâc autem (Gonorrhœâ scil. simplici) multô crebrior est virulenta Gonorrhœa, quam impura Venus infligit, eo modo, quo ante in Viris est comprehensum, quod per hunc excidit, continenter assiduoque fertur ut in uterino fluore. Est tamen crassius multò atque modò album, modo flavum aut viresœens, odore gravi molestum, acre & exedens, ac proinde rarò deprehenditur citra pudendi ulcus. At nondum his notis certò possit ab uterino fluore internosci, sed hinc maximè, quod non ut ille ab utero, sed à spermaticis vasis prodeat, quodque prorumpentibus mensibus non desinat, sed cum his & mox ab iis similiter persistat, uterinus verò fluor cessat in mensium eruptione, & aliquando post tempore: Quin etiam luis Venereæ signa se produnt, neque uterini fluoris, seu primarii, seu ejus, qui viscerum vitio fit, indicia ulla cernuntur. Hæc sunt verba *Fernelii*, quem imitatum fuisse videtur *Georg. Baglivus in praxi suâ Medicâ ad pristinam observandi rationem revocandâ libro 2. cap. 8. pag.* 218. dum ita scribit: Fluor albus uterinus & Gonorrhœa Gallica adeò similibus concomitantur symptomatibus, ut quisquis Medicorum ferè semper decipiatur in illorum diagnosi, præsertim cum mulierculæ verecundiâ perfusæ Gonorhœam per impurum scortum contractam fluoribus uterinis mentiantur. Ne succedant imposterum hæc incommoda, dabo signum infallibile tales morbos ab invicem distinguendi. Pete à muliere, an superveniente menstruo sanguinis fluxu perseveret quoque eodem tempore fluor ille albæ materiæ; si dicat quod sic, significato eidem, quod morbus, à quo divexatur, sit Gonorrhœa Gallica, si verò durante menstruatione fluor albus evanescat, & eâdem finitâ denuò regrediatur, pro certò habeas mulierem fluore albo uterino laborare. Optimè hæc dicta sunt & vera apparent tanquam à multiplici experientia petita,

sita, quibus etiam facilè subscriberemus, nisi unicum nos adhuc moraretur, quod Dominus Præses nobis retulit, qui ex fœmina Gonorhœâ & ulcusculis vaginæ, ac lue Venerea laborante didicit, hocque responsum, postquam ad explorandam veritatem asserti hujus ex illâ quæsivit, num tempore menstrui fluxus Gonorrhœa cessarit [licuit enim scapham scapham appellare] accepit, quod ante & post menses fluor ille albus, flavus, viridis semper; per biduum autem rubicundus fuerit. Ex quâ observatione signum illud infallibile creditum dubium aliquomodo redditur, cui aliâs rationes variæ opponi possunt, ex aliarum partium ulcerum naturâ & fluxu petitæ, quæ minus sani ei fundere solent, evacuatâ in aliis partibus puris quantitate quâdam notabili, quod & in aliis fluxionibus solenne est, & ex quo fundamento fluor albus benignus mensibus fluentibus cessare, aut rubore tinctus menstruo non observari dicitur, dum immediatè rubicundum illum excipit, aut antecedit. Nolumus autem Laudatissimorum Virorum experientiæ omnem fidem subtrahere, cùm signum hoc aliâs præ omnibus firmius nobis videatur, sed occasionem solum præbemus ulterius in praxi hâc de re, ejusque certitudine inquirendi. Nec tamen consultum ducimus, soli huic semper fidem habere, sed tutius plura alia explorari; quis scil. fuerit ortus hujus fluoris? nunc in primis statim diebus sensibilis admodum fuerit, & duraverit absque intermissione? Num etiam ardorem urinæ senserit? Præterea de vitâ mariti & fœminæ inquirendum est, & urina inspicienda, quæ cum prioribus firmius longè concludunt. Tandem si hic ipse fluxus virulentus â Viris & juvenibus sub titulo pollutionis, vel nocturnæ vel diurnæ occultari vellet, simili examine explorandus erit; num ardorem sentiant post mictionem, & dolorem, an insensibiliter contingat, maculasque in indusio faciat, cujusque notæ hæ sint: quibus missis quid Gonorrhœa hæc virulenta sit utroque in sexu dicemus, nimirum, *fluxus involuntarius seminis, aut similis liquaminis purulenti & sordidi cum dolore, ardore Urinæ & penis tentigine ex prostatarum inflammatione à fermentatione ab Acido Venereo in impuro concubitu inductâ natus.*

§. III. Fluxum itaque in voluntarium vocamus Gonorrhœam, cùm citra voluntatem ægrorum, ipsis insciis effluat, nec ab eorum arbitrio dependeat factum pro lubitu sistere, ut vel fluat, vel non fluat. Cum verò plures liquores per canales & partes genitales externas effluant, nunc serum

ctum, Uriнæ nomine, nunc ſanguis, nunc pus, omnesque involuntarie, à reliquis fluxibus materiâ ſingulari, ſemine ſcilicet purulento atque ſordido diſtinguitur. Qui humorem proſtatarum non pro ſemine agnoſcunt, nec fluxum hunc ita nominare, niſi impropriè, permittunt, quam autem controverſiam ob tantam & temporis penuriam & chartarum auguſtiam hic non ventilabimus, dicentes modo, nos humorem illum pro ſeminis parte habere; hunc teſticulorum atque Veſicularum liquori ad ſemen conſtituendum accedere debere, & ſemper quoque miſceri in ejaculatione; hinc & naturam rem ita diſpoſuiſſe, ut miſceantur in homine ad transferendum ſemper prolificum, ſine quo fœcundatio non fieret; cùm autem in Gonorrhœa ex proſtatis liquor, qui effluit, proveniat, uti mox patebit, jure fluxum illum ſeminalem vocare licebit in viris. In mulieribus autem alia res eſt, hæ enim in partibus ſuis externis & glanduloſis ſemen non generant, nec liquorem in libidine æſtuque Venereo, ac coitu exinde extillantem cum vero ſuo ſemine miſcent, hinc nec fluor virulentus, qui ex partibus genitalibus earum externis inflammatis provenit, Gonorrhœa dici meretur, niſi impropriè valdè.

§. IV. Non autem ſemen in fluxu hoc virulento excernitur, uti naturale eſt, ſed corruptum, purulentum & ſordidum: miaſma enim, ſive halitus ꝑreus receptus à proſtatis utriusq; ſexus infert ſal acidum, quod ſolutū congreditur cum alkali ſeminis proſtatarum, lucta hinc naſcitur atq; fermentatio, dum ſucceſſivè in ſe invicem agunt, concretique particulas reliquas, præprimis ſulphureas in motum ſimul abripiunt, quo motu continuato partes illæ diſſolvuntur, ſecedunt, concretumque deſtruitur, volatilesq; ſ. principia activa avolant: Paſſiva verò ſ. Aqueæ vel etiam ſuo modo Chyloſæ, Salinæ & Acidæ fixæ particulæ remanent, & caput mortuum quaſi, ſive pus, quod pro diverſitate particularum ſulphurearum & ſalinarum reſiduarum adhuc varios colores nunc flavos, nunc virides accipit, nunc albicantes magis, relinquit, cujus ſalia acida fixa, cauſtica, ſoluta non ſolum partem in quâ hærent & generata ſunt, verum etiam illas, per quas vel ſola, vel cum Urina tranſeunt rodunt, exulcerant, doloremque talem, ardorisque ſenſum faciunt aliarum partium vel ab igne vel ſpiritibus acidis excoriatarum doloribus & ardoribus ſimilem. Tentigo autem ab irritatione nervorum per totum glandis corpus diſſeminatorum in proſtatis facta naſcitur; deniq; tactâ hâc eroſione fibrarum proſtatarum non poſſunt non liquores inibi contenti cum purulenta materia, quam illi recipiunt & di-

luunt,

luunt; effluere apertâ portâ, accedentibus variis motibus tàm partium vicinarum & externarum, quàm ipsarum prostatarum.

§. V. Ulcerum horum, fluxusque virulenti subjectum sunt prostatæ in Viris, quod varia probant. Primò titillationis, dolorisque sensus in perinæi loco, ubi prostatæ sitæ sunt, harumq; tumor. Secundò fluxus auctus presso eodem loco. Tertiò Sectiones cadaverum, in quibus fluxus hic vel ad finem vitæ duravit, vel antea adfuit, ubi vel cicatrices, vel ulcera callosa, manifesta deprehenduntur, teste *Wirsungio*, qui tria cadavera gonorrhœâ extinctorum secuit, in quorum prostatis vestigia ulcerum & cicatrices manifestas animadvertit, ut & *Palmarius*, *Andr. Laurentius*, *Ludovic. Gujon*, *Ambrosius Paræus*, *Bartholinus*, *Lescot* aliique quamplurimi testantur. Alii parastatas quoque sive *Vesiculas seminales* accusant, eâdemque experientiâ & sectionibus, quibus in prostatis usi fuerint, id firmant, uti *Rondeletius*, *Palmarius*, *Severinus*, *Rio anus*, *Thierry*, *Hery* docent. Alii *vesicæ collum* pro subjecto habent, quod *Palmarius* 2. de lue cap. 9. obtinere conatur, dum ex ulcere cervicis vesicæ, à gonorrhœâ curata residuo totâ vitâ materiam purulentam stillasse, non secus ac in diuturnâ gonorrhœâ à prostatis & gonorrhœam mentitam observavit. Denùm *urethram* sedem hujus mali alii volunt, dum ulcera in illa saniem suppeditantia ostendunt. Quibus autem Blegny in tract. sæpius citat. tom. 2. pag. m. 66. debitè occurrit, ac majorem dolorem, inflammationem, affluxum, convulsionesque & gangrænam frequentiorem prætendit, si illa principale subjectum constituenda esset. Alii ad *Epididymides & testiculos* deferunt, illosque affici dicunt, uti Pigray voluit. His autem non obstantibus principale atq; primarium subjectum dicimus esse prostatas; Has tanquam partem spongiosam, raram, & porosam præ aliis primò affici, hasque ingredi halitus, virusque venereum, quod etiam præter dictas rationes exindè patet, quod inflammatio minor sit hîc, ac aliâs in partibus nervosis esse soleat; fluxusque copiosior, ac ex membranosis partibus provenire solet in principio scil., si ibi primariò hæreat; symptomataque dictarum partium, vesicæ, ac testiculorum, horum dolor, majorque urinæ difficultas, illis partibus alias propria, desint. Secundario autem illas nonnunquam afficiaffectis prius prostatis, non inficiamur. Certa enim est sphæra quam attingit virus illud, nec ad omnem distantiam partium remotarum, utut via pateat, contagiosa miasmata libera corpuscula, quæ quaquaversum dispergantur, & ubivis à carnibus, glandulisque recipiuntur in transitu

situ, & quæ certis cancellis aut canalibus includi nescia sunt, extenduntur, aut progrediuntur; sed nunc brevius spatium pro utriusque temperamenti ac humorum, quibus inhæret, energiâ ac æstu, nunc longius dimetiuntur & absolvunt. Ad prostatas autem facile protruditur venenum vi aeris, humorumque in vagina uteri valdè commotorum & exaltatorum, per hiantes, patulasque vias, extensam à Spiritibus urethram, dilatata prostatarum orificia & canales; imò ad parastatas quoque, si venenum pluribus particulis spirituosioribus involutum, vel æstus venereus insignis sit, quomodo longius transfertur, sivè in aere fiat, sive in canalibus corporis, quod ex casu, quem à Dn. Præs. novi, patet, ubi Coquus quidam à Venatore bubone venereo affecto scabiem malignam unicâ nocte contraxit in lecto, utut Coquus ob suspicionem, quam de Venatore habuit, sese ab illo, longius sejunxerit, linteaminaque, ne ab illis inficeretur, removerit.

§. VI. In sexu sequiori, licet plurimi glandosum corpus seu prostatas haud iniquè pro subjecto primario venditent, in quantum hæ ipsæ præ aliis partium genitalium glandulis, humorem copiosum generant, & ad recipiendum virus venereum hiant; reliquas tamen vaginæ uteri, ejusque colli glandulas excludere non licet, dum æquè ad illas colis virus ♀reum pertingit, ac ad has lacunas, ut inde necessario infici debeant. Urethram verò & vesicam, eo minus accusari posse putamus, cum neque in orificio illius materiam fluxus deprehendamus, neque vesicæ symptomata compareant.

§. VII. Fluxus hujus Causa immediata & proxima est exulceratio membranarum & fibrarum prostatarum; vel reliquarum glandularum vaginalium; hâc enim positâ, purulentum tale liquamen generatur & effluit. Hujus autem exulcerationis origo debetur variis aliis remotioribus, præprimis contagio isto venereo, vel halitibus virulentis, venenosis, fermentescibilibus; verbo, Salibus acribus, acidis, vel si magis placet, acribus acetoso volatilibus in impuro concubitu inductis, quæ receptæ à prostatis eorumque semine luctam faciunt tanquam cum alcalinis Salibus seminalibus, quâ mediante humores rarefiunt, seminisque particulæ sulphureæ, Salino volatiles in motum rapiuntur, quo motu non solùm partes solidæ dilatantur, sed continuante illo & aucto, volatiliores à fixioribus secedunt & avolant, fixis remanentibus acidis, corrosivis, causticis, quæ postea agunt, partem rodunt & exulcerant, nunc profundius vasa sanguiveha, ossa, nunc levius & superficialius. Præterea particulæ seu miasmata venerea,

acrea, si copiosa ingeruntur, & vel in subjecto spiri uosiori hærent, vel comunicantur tali æstuanti, non solùm longius transferuntur illa, verum etiã majorem motum concitant, ut inde partes prostatarum dilatentur magis, majorque compressio vasorum sanguivehorum, stagnatio hinc humorum, inflamatio tàm prostatarum, quàm vicinarum partium, vesicæ, majorque calor nasci debeat; sed & irritatio fibrarum nervosarum excitari ab istâ acrimonia acidâ, quâ factâ reliqui hinc dependentes rami violenter trahuntur, partesque quibus illi inserti sunt, abbreviantur & incurvantur.

§. IIX. Fermentum autem hoc Venereũ seu contagium virulentũ acidum esse & in particulis Salino acidis acribus volatilibus consistere varia probant. Primò coagulationes lymphæ & seri in partibus omnibus totius corporis. Secundò ulcera callosa, Gallis aliàs ob hanc ipsam callositatem *Chancres*, vocata; tophi, & caries ossium. Tertiò, languor totius corporis, livor, cachexia, frigus. Quartò denique Cura, quæ vel ☿io vivo, alkali summo, vel Salibus volat. illi junctis obtinetur. Volatilitas autem ex summâ activitate, quâ ad partes remotissimas penetrat, subitaneaque infectione judicanda est.

§. IX. Ex Remotioribus causis variæ sunt, quæ ad malum vel promovendum vel accelerandum, & retardandum variè concurrunt & conferunt; & tàm ex naturalibus, quam non naturalibus & præter n., quæ ad explicanda varia symptomata multum lucis accendunt, ut sunt Temperamenta, ætas, aer, varii errores in cibis, potu, & motu commissi; affectus scorbutici & hypochondriaci, quæ verò ob temporis chartarumq; augustiam nec examinare aut modum eorum agendi tradere licet, uti ex eadem ratione à pluribus al is ad dilucidationem variorum phœnomenorũ in primo capite recensitorum, necessariis principiis abstinere cogimur, quæ vero Deo volente aliâ & proximâ occasione, prout in limine promisimus, tradituri erimus, ac plenius illustraturi. Interim ut paucis satisfaciamus promissis in præfatione, brevibus nonnullorum phœnomenorum rationem tangemus: Fluxum materiæ, dolorem, calorem, inflammationem, successivum symptomatum incrementum, conatum mingendi, Urinam lixiviosam, ejus ardorem, suppressionem, tentiginem, erectionem penis, incurvationem ejus, variam colorum materiæ effluentis mutationem & conditionem, hæmorrhagias, mali pertinaciam, curæ difficultatem, recidivas modus generationis ulceris illius, & progressus, producta hinc inflammatio, Materiæ virulentæ condito & qualitas, qua non solum partes carnosæ, fibrosæ, eroduntur, & nervosæ irritantur, sed & humores coagulantur; ut & subjecti ipsius latentis & invii, partiumque vicinarum status explicant.

§. X. Exacerbationes nocturnæ vel ab ipsius veneni, si in humoribus ponuntur; vel vermiculorum naturâ, aut stragulis, caloreque hinc aucto dependent.

§. XI. Infectio alterius ab inficiente salva & sana manente; subitanea item vel in proximiori conjunctione, vel amplexibus, aut in distans & infectionis varietas; ejusq; exaltatio ad summum mali gradum a veneno recenter immisso, diversaque ejus activitate, partiumque diversarum dispositione diversâ dependet.

§. XII. Eventus mali hujus varius est; quo diutius delitescit illud, antequã fluxus erumpit, eo pejus est, & quo plura post se trahit symptomata, ulcuscula sc., & bubones; quo major etiam est inflammatio & penis tensio, eo majori curâ opus est. Si Gonorrhœæ dolores artuũ capitis, & amygdalorũ, aut ex anthemata, bubones, vel ulcera junguntur, signum est luis universalis.

§. XIII. Gonorrhœa vel neglecta, aut malè tractata carnositates in urethra producit, aut repressa citius justo infert luem universalem. Inveteratæ sæpè evadunt incurabiles.

CAPUT TERTIUM.

§. I. Perspectâ morbi naturâ restat, ut nunc curationem ejus aggrediamur, quæ autem difficilis sæpè est, ita ut facilius luem ipsam universalem curemus, ac fluxum hunc; sæpe autem facilis quoque est. Ut autem feciliter obtineatur, secundùm diversas indicationes, Curatoriam, Præservatoriam Mitigatoriam, & Vitalem, diversis temporibus diversimodè instituenda est, atque indicationes hæ distinguendæ sunt, quod nisi ritè observatur, ægri non solum in majus malum præcipitabuntur, sed malum sæpe incurabile evadit. Transgrediuntur autem methodum hanc non solum Medici & Chirurgi, Empirici præsertim, qui jactant se brevi temporis spatio omnes Gonorrhœæ gradus felicissimè curaturos, quiq; ad Curatoriam solùm respiciunt, fluxus scil. repentinam cessationem, ulcerisque consolidationem; sed & ægri ipsi, impatientes præprimis, dum celerrimam fluxus remotionem & curationem urgent, nec debitum apparatum admittunt, sed si ob varias causas fluxus ille sisti nequit, injuriosè sæpe inscitiam & ignorantiam Medicis & Chirurgis exprobrant, quasi levissimum fluxum ac symptoma curare nesciant. Quibus autem contra scientiam & conscientiam non moveamur, sed ritè procedamus secundùm leges curationis, morbique naturam. Ad præservatoriam itaque & mitigatoriam indicationem primò omnium respiciendum est, & non ad curatoriam, utpote quæ fluxus remotionem, ulcerisque consolidationem solùm intendit, quam specificis credi-

tis

tis vel injectionibus vel decoctis adstringentibus nonnulli aggrediuntur, pessimè autem, uti experientia testatur, Dominusq; Præses mihi retulit de ægro, cui ulcera in ore oborta fuerunt, luesq; inducta ob repressum sexto die fluxum hunc; Respectus itaque primò omnium habendus est ad inflammationem, à quâ potissima symptomata vel metuenda sunt, vel nascuntur, contra quam ex triplici fonte agendum & pugnandum est. Ex fonte Chir. ad sopiendum orgasmum, impediendamque inflammationem majorem confert venæ sectio, aliquoties etiam repetita, quæ autem in leviore malo necessaria non est; E fonte Pharmaceutico præscribantur potus & emulsiones refrigerantes ex amygdal. dulc. sem. 4. frigid. maj. & min. papav. alb. cum aqua fontanâ, vel papav. rhœad. parandæ, & in largiori dosi conficiendæ, ut manè, vesperi & noctu sumi queant; addantur his vel sal prunell. vel pulveres absorbentes & præcipitantes. Observetur debita Diæta, exulet vinum, omnesque liquores generosiores; loco potus ordinarii, vel decoctum Liquiritiæ, vel Julepi eligantur; Jusculis utatur alteratis lactucâ, cichorio; Æger vitet omnes cibos calidiores & aromatisatos, Motus vehementiores, animi & corporis, venerem præprimis. Si autem ex neglectâ curâ & continuato usu Veneris impuræ; ob motus nimios & compotationes inflamatio prostatarum eousq; crevisset, ut penis cum glande incurvaretur; imò præter summum ardorem & dolorem Urina quoque supprimeretur, instituantur injectiones, vel ex solo lacte; vel ex cremore hordei diluto admodum; vel ex decocto hordei mixto cum lacte; aut decoctum ex herbâ malvæ, bismalvæ, semine lini, cydon. Penis sæpè foveatur lacte calido. Perinæum inungatur vel ung. rosat. vel alb. camph. popul. cum camphorâ; vel linteamina oxycrato madida sæpius imponantur, sæpiusque clysteres injiciantur. His autem si malum cedere nolit, ad Catheterem tandem perveniendum est, in cujus applicatione autem cautè procedendum erit, ne collum vesicæ inflammatum & angustum exulceretur, sicque malum immedicabile reddatur. Ubi Urina supprimitur ex prostatis pure infarctis, modo dicta quoque conveniunt. Dominus Parens in tali ægro exsugi curavit pus, destitutus aliis remediis, sicque ægrum à pertinacissimâ suppressione liberavit. Hæmorrhagia penis sistitur V. Snc, & injectionibus ex flor. rosar. r. balaust. hyper. rad. torment. bistort. &c; Cumque in istâ inflammatione, auctâ ab irritatione partium nervosarum sanguis turbatus sit, pulveres ex oc. 69. Antim. diaph. Crystall. Ebor. coralliis, oss. sepiæ præscribi possunt. Præterea tentandum est, ut virus receptum ejiciatur, quod fit primò per purgantia

gantia (quæ primis diebus locum non habent) & vel Mercurium dulc. Cassiam. Tamarind. Conf. Hamech. Rhabarb. Post per diuretica, ubi Therebinthina in formâ pilularum vel aliâ exhiberi potest, aut oleum succini in jusculo; vel pulveres ex succin. oc. 69. &c. Denique ulcus abstergendum est, mundificandum, atque consolidandum, quod variis obtinetur: Præ aliis conferunt Balsam. Sulphuris succin. vel anisat. therebinth. Bals. Peruv. de Copaiv. vel Anglicus ex bals. Sulphuris, opobals. & bals. Peruv. paratus. Tandem partes dilatatæ & relaxatæ restringendæ sunt tàm internis, quàm externis; Internè conveniunt, Croc: ♂tis adstr. bol. arm. mum. Sperniol. Croll. Gumm. Arab. tragacanth. &c. Externè injectiones variæ, quarum autem magna cautela adhibenda est, ne veneno nondum expulso administrentur. Fiunt autem vel ex Aqua calc. viv. vel ex decoctis adstring. cum mell. rosac. & Mercurio dulc. vel ex pom. gallar. in vino alb. coct. Aut in recentioribus ex Aqua rosarum & sacch. Ubi metus est miasma venereum ingressum esse massam sanguineam, ut inde lues univeralis fiat, generosioribus utendum est, non quidem salivatione, aut aliis longioribus curationibus mercurialibus, quas Crumenilugæ facilè suadent, exhibeantur autem specifica illa selectiora, quorum usus brevior esse potest, ex quibus præcellit Præcipitatum viride Hartmanni. Præcipitatum solare, egregiarum virtutum, Illustriss. Domini Comitis de Castell. S. C. M. Generalis Campi-Marescalli, Domini rariori scientia Chymica variisque artibus rarioribus Inclyti. Item Dn. Doctoris Bilgeri, Archiatri Cæsar. & Poliatri Eslingens. Celeberrimi Mercurius cum ☉ regul. antimon. & Lunâ animatus, quod præstans pariter medicamentum est; Quibus accedit Dn. Parentis specificum antivenereum ex meris Alkalinis & Mercurialibus conflatum, summum antacidum, tutum ac nobile remedium, non solùm ob hoc extollendum, quod ibi egregiam operam præstet, ubi ægri neque salivationem, neque aliam curam per Mercurium dulc. suscipiendam ob cardialgiam, phlogoses, dolores capitis, lassitudinem, animi defectiones à ☿ialibus ortas ferunt, locum habeat, sed & summa symptomata nodos, tophos exostoses tutò ac securè tollat, æquè ac ☿ialia alia, vel salivatio, nec ab eo tq. alcalino aliquid metuendum sit, sed causæ ♀eæ, quæ alias summè acida dicitur, optimè opponatur. Penes hæc ordinentur decocta ex rad. Sarsaparill. Chin. Lign. sancto, sassafr. & Antim. crud. parata, quibus malum vel evitatur vel curatur, fluxusque ille virulentus sistitur.

DEO SIT HONOR ET GLORIA.